





4  
1912, 19  
439  
4

2. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA

DE  
**FAMOSIS LIBELLIS**

VULGO  
von **Gasvillen**

QVAM  
DIVINA ASSISTENTE GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**GUILHELMO HENRICO**  
DUCE SAX. JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGARIÆ  
ET WESTPHALIÆ &c.  
AUTORITATE ET DECRETO MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
IN FLORENTISSIMA AD SALAM ACADEMIA  
SUB PRÆSIDIO

**IOHANNIS BERNHARDI Griesen**  
HÆREDITARIÏ in Pöfen, JCTI SERENISS. DUC. SAXO-ISNAC. CON-  
SILIARIÏ AULICI ET CONSISTORIALIS, ANTECESSORIS, FACUL-  
TATIS JURIDICÆ ET SCABINATUS ASSESSORIS, ET H. T. DECANI  
*Domini Patrovi, ac Præceptoris ætatem venerandi*

**PRO LICENTIA**

*Summos in utroque jure honores, & privilegia Doctoralia rite capefendæ*  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT  
**IOHANNES JACOBUS FREIESLEBIUS**  
EISENBERGA - OSTERLANDUS

d. *Octobr. MDCCXII. horis ante & pomerid.*

JENÆ, LITERIS WERTHERIANIS.



DEO  
PATRIÆ

ET

PATRONIS

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM

DAT DICAT DEDICAT

AUTOR



DUCE ET AUSPICE

CHRISTO!

PRÆFATIO

AD LECTOREM BENEVOLUM.



Ravissimum esse famosorum libellorum crimen, nemo ex sanioribus inficias ibit, quamvis maledici homines leve illud putent, & nimium illi hodie indulgeant, quod & sub finem mundi frequentes fore *D. Apostolus Paulus 2. Timoth. 3. v. 1. 2. 3. & seq. scribit, & valde de hoc conqueritur VVesemb. in Oecon. Cod. ad tit. de seditiosis, Oldendorp. in l. diffamari n. 5. verb. per iniquum C. de ingen. manu-*

A 2

miss.

*miss.* Namque ut bene *Aerodius ver. jurid. lib. 6. tit. 5. c. 1.* scribit, vel ideo capitalis est hæc injuriæ species, quod per eam nota ad posteros transmittitur, quod sæpe idem occiditur: quia homini ingenuo tolerabilius est vitæ, quam famæ damnum. Et paulo post: quia quæ ex bene ante acta vita memoria superest, damnatur maledicentia. Quapropter & omni ætate graviter ejusmodi reos punitos esse legitimus. Et cogitanti mihi, quam potissimum Disputationis Inauguralis feligerem materiam, præ reliquis ea, quæ de famosis libellis agit, sese obrulit. Et licet non ignorem, arduam atque gravem materiam, & de hac inter *JC-tos* magnam esse contentionem, nihilominus tamen pro virili breviter dictam materiam delineare animus est. Enim vero, ut eo felicius labor procedat noster, divinum imploramus auxilium, in cujus nomine ad omina consilia, omnesque actus semper progredimur, juxta *L. 2. pr. C. de offic. Pref. Præt. Afric.*

Thef. I.

In nominum evolutione multum operæ laborisque pōnere atque immorari, nobis, bre-  
vi-

vitati studentibus, non allubescit, cum illa cui-  
libet obvia esse nulli dubitamus, sed potissi-  
mum ad considerationem rei nos conferimus,  
quam a definitione exordimur. Omnis enim  
inquit *Cicero Lib. 1. offic.* in princ. quæ a ratio-  
ne suscipitur de aliqua re institutio, debet à de-  
finitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id,  
de quo disputetur. Eam autem cum Docto-  
ribus exstruimus talem: quod sit scriptura in-  
juriosa ad infamiam alicujus facta, & in loco  
publico, sed occulto, vel etiam ficto nomine  
affixa, vel projecta, super tali delicto, quod au-  
tor probare non vult, alteri vero pœnam capi-  
talem vel corporalem in casu factæ probatio-  
nis conciliare potest.

Thef. II.

Vulgo autem dicitur Pasquillus ex eo,  
quod omnis generis scripta maledica apud Pas-  
quilli Sartoris Romani tabernam, ubi ei mör-  
tuo statua marmorea habitu gladiatorio erecta  
erat, noctu affigi solebant. Ideo autem eo lo-  
ci affigebantur famosi libelli, quod ipse Sartor  
Pasquillus, religioni Pontificiæ addictissimus,

ob vitia ipsum Papam & Papæ Senatam; id est, Cardinales libere & impune vellicare solitus fuit, ut refert *ex theatr. vita humana vol. 21. lib. 3. fol. 3709. in verbis Pasquillus Matth. Stephan. in Comment. ad Ordin. Crim. Caroli V. art. 10. n. 1. in verb. Ejusd. libellus &c.*

Thef. III.

Inter famosum libellum & injuriam scriptam autem talis est differentia. Nimirum famosus libellus ad infamiam alicujus pertinet, impingit nimirum delictum aliquod notabile præter contumeliam, *art. 10. Ordin. Crim. Caroli V.* At vero scripta dicitur injuria, quando quis contumeliæ causa absque tamen infamix nota, contumelioso nomine appellatur & traducitur, ut si quis luseus, claudus, spurius appelletur. *Matth. Wesenb. in paratit. ff. de injur. n. 19. Petr. Heig. part. 2. quest. 31. n. 15. & 16. Theodorici C. 2. aphor. 16. n. 25.*

Thef. IV.

Injuria ergo scriptis illata, ad famosum libellum perinde se habet, ut genus ad speciem. Ob



Ob omnem siquidem famosum libellum injuriarum agi potest, sed non e contra ob quamlibet injuriam scriptam actio famosi libelli datur. *Dan. Moller. ad constit. Elect. 44. n. 1. part. 4. Matth. VVesemb. in paratit. ff. de injur. n. 19.* Adeoque nec qualibet injuria scripta famosi libelli pœna coercetur.

Thef. V.

Libellus famosus autem est injuria verbalis, non autem realis. Omnis enim injuria aut re fit aut verbis *per. l. 1. §. 1. ff. de injur.* & licet realis injuria manu fieri dicatur, scriptaque injuria manu fiat, manus tamen ibi aliter, quam hoc in passu sumitur, scilicet, manus alicui inferri dicitur, quando alicujus corpus pulsatur, verberatur, & cum quis alterius ædes vi quadam ingreditur, *l. 1. §. 2. §. l. 5. pr. §. 1. ff. de injuriis.* Hinc in materia injuriarum illud manu fieri dicitur, quod non voce, sed facto ipso perficitur. *Theod. C. 2. aphor. 16. n. 1. p. 224. §. 26. p. 235. Crim. Bocerus C. 1. de famosis libellis n. 29. p. 21.*

Thef. VI.

Cur autem libellus famosus referatur ad de-

lieta privata, cum tamen in *L. un. C. de famosis libellis* poena capitalis & ultimum supplicium sit constitutum in famosi libelli autores, id concinne tractat *Theodoricus C. 2. apbor. 16. n. 36. p. 239.* qui videri potest. Ubi inter alia & hoc tradit, quod poena capitalis non sit certa & indubitata publicorum judiciorum nota. Et sicuti non omnia judicia publica sunt capitalia, ita vice versa nec omnia capitalia judicia sunt publica. Sic nec Carolus V, hoc delicti genus mutavit, propterea, quod casus quosdam injuriarum & maxime de famosis libellis inter judicia, quae vocat **Halß-Gerichte und hohe Peinliche-Gerichte** retulit. Nam non tractavit saltem publica crimina, quae proprie loquendo talia sunt, sed etiam privata, quatenus nimirum de privatis quaedam persecutio publica criminalis dicitur, uti etiam de furto, calumnia, de praevagatione, de concussione, de receptione, quae tamen privata delicta citra omne dubium sunt. Dissentit autem *Bocerus Cap. 5. n. 36. p. 122. § 123. § seqq. de libellis famosis.*

Thef. VII.

Nunc autem de genere 'pœnæ dicendum est, quo autor libelli famosi afficiendus est, de jure Civili, & quidem ex constitutione Imp̄p. Valentiniani & Valentis est capitalis *L. unic. C. de famos. libell. Damboud. in praxi rer. Crim. Cap. 125. n. 2. & C. 130. n. ult. Farin. part. 3. qv. 105. n. 422. Jul. Clarus l. 5. sent. §. ult. qv. 68. n. 25.*

Thef. VIII.

Idque extra controversiam est ob verba clara *dict. L. unic.* Quoniam vero pœna capitalis in jure Civili sumitur non tantum de illa pœna, qua alicui adimitur vita, sed etiam, qua alteri libertas, vel etiam jus Civitatis eripitur *l. 2. ff. de publ. judic. L. 28. ff. de pœnis*, inde concludit *Harprecht. ad §. 1. n. 172. Inst. de injur.* pœnam capitalem in *l. unic. C. de famos. libell.* nequaquam de morte vel supplicio, sed de alia mitiori pœna & coërcitione esse accipiendam.

B

Th.

## Thef. IX.

At vero alii distinguunt inter delicta, quæ diffamato in libello famoso sunt obiecta. Nam dicunt, si crimen in libello famoso expressum fuerit capitale, ac ultimo supplicio dignum, tunc ultimum supplicium locum invenire. Cui sententiæ adstipulatur *Bocerus C. 5. n. 13. de fam. libell.* Et inquit, quod Imperator in ista lege de illo solum libello famoso locutus sit, in quo quis alterius famam ita insectatus est, ut ei obijerit crimen mortis pœna dignum. *Petr. Heig. part. 2. qv. 31. n. 45. Matth. Berlich. part. 5. concl. 67. n. 9. licet Jul. Clarus l. 5. sent. qv. 68. n. 25.* dicat, se non vidisse hoc in praxi servari, ut aliquis propter libellum famosum ultimo supplicio afficeretur, sed semper imposita fuerit pœna extraordinaria. Quod si vero crimen, quod pœnam mortis non meretur, alteri in libello famoso obijciatur, tunc ultimum supplicium locum non habebit, sed pro qualitate injuriæ conveniens quoque pœna irroganda venit delinquenti vid. *Carpz. p. 2. quest. 98. n. 8. Pract. Crim.*

Th.

Thef. X.

Illi autem, qui ob famosum libellum dam-  
nantur, sunt infames & intestabiles *l. 21. pr. ff.  
de Testib. l. 5. §. 9. ff. de injur.* Dicitur autem  
intestabilis, qui nec testamentum condere, nec  
alteri testimonium dare potest in testamento.  
*l. 18. §. 1. & l. 26. ff. de Testam. vid, Dautb. de  
Testam. fol. 186.*

Thef. XI.

Enim vero, quia accurate circa hoc deli-  
ctum distinguere convenit, antequam de certo  
pœnarum genere aliquid certi queat constitui,  
ideo, ut in hac ardua & quotidie fere occur-  
rente materia, quantum fieri poterit, juxta cir-  
cumstantias pœna commensuretur delicto, o-  
portet illas probe perpendere, antequam justa  
& legibus actisque conformis pœna dictetur.

Thef. XII.

Interim tamen haud negandum est, ultimo  
supplicio eum posse affici, qui homini innocen-  
ti tale imputat crimen in famoso mendacique

libello, quod poena mortis sit dignum, a diffamante autem probari non potest, juxta claram & manifestam sanctionem *Caroli V. art. 110.* Et quamvis Julius Clarus loco ante citato in praxi id observari neget, ut poena capitalis ob famosum libellum diffamanti irrogetur, attamen meminit *Dan. Moll. ad part. 4. Const. Elect. 44. fol. 642. n. 6.* Scabios Lipsienses alicui poenam gladii ob famosum libellum dictasse, & cuidam, qui in famoso libello alium criminis Sodomitici insimulasset, poenam ignis dixisse Et refert *Berlich. part. 5. Conc. 67. n. 21* nobilem quendam, quod alteri cuidam nobili crimen capitale in libello famoso cum suppressione sui nominis objecisset, fuisse decollatum.

Thef. XIII.

Et hanc poenam nonnulli extendunt quoque ad eum, qui consuluit, vel etiam mandavit ut ejusmodi famosus libellus conficeretur, *per l. 5. §. si quis librum ff. de injur. Farin. part. 3. qv. 105. n. 442. & seq.* Eumque, qui libellum famosum sciens & volens passus est cadere in platea, hunc in finem, ut ille publicaretur, dif-

fa-

famatus vero supplicio afficeretur, item, qui invenit talem libellum, eumque non lacerat aut comburit, sed in publicum profert *per L. un. C. de fam. libell. Farin. p. 3. qv. 105. n. 459. § 460. Berlich. conc. 67. p. 5. n. 43. Harprecht ad §. 1. Instit. de injur. n. 196. § 199.* Licet ejusmodi inventor, libellum famosum publicans, autorem nominare & demonstrare sit paratus. *Harprecht. d. l. n. 204. Matth. Coler. part 1. Dec. 154. n. 4. § seqq. Bocerus C. 3. n. 20. seq. de fam. libell.*

Thef. XIV.

Sed hæc sententia *Dn. Carpz.* nimis rigora videtur, putans in *pract. Crim. part. 2. qv. 98. n. 21.* ejusmodi homines solummodo arbitrarie puniendos esse, idque ideo, quod *Imperator Carolus V. in constitutione sua criminali no. 110.* expressè loquatur de Autore & compositore famosi libelli, adeoque hæc constitutio pœnalis ad inventorem & propalatorum haud sit extendenda, juxta generalem juris regulam; quod pœnæ, cum sint e genere odiosorum strictè, sint interpretandæ, *cap. statutum 22. extr. de*

B 3

Elect.

§ (14) §

*Elect. in 6to. Menoch. Lib. 6. presunt. 4. n. 33. Ad L. 5. §. 9. ff. de injuriis* respondens, quod ibi non agatur de poena mortis, sed saltem de infamia, qua diffamans ob delictum libelli famosi notetur, & ad *L. un. C. de fam. libell.* quod in ea lege poena capitalis non dicatur de ultimo supplicio, sed de tali poena, qua alicui libertas & civitas adimitur.

Thes. XV.

An autem illi, qui nomen suum in famoso libello subscripserit, poena famosi libelli sit irroganda, magna inter Jctos est contentio. Plerique hoc negant, inter quos *Dn. Carpzov. part. 4. Const. 44. def. 3. n. 5. jurispr. forens. & part. 2. qu. 98. n. 28. Pract. Crim. & definit famosum libellum, quod sit compositio occulto nomine facta. Cui adstipulatur Hartm. Pistor. observ. 187. n. 4.* Et addit, quod autor famosi libelli, quando nomen suum professus sit, saltem injuriarum teneatur.

Thes. XVI.

Alii docent: perinde esse, sive quis nomen



men suum subscribat, sive illud occultet, modo scripta isthæc injuria in alterius infamiam tendat. Quin imo eum impudentiorem esse putant autorem famosi libelli, quod nomen suum proferre & subscribere non vereatur. Et *Hab-nius* hanc sententiam acute defendit *ad VVe-senb. parat. ff. n. 19.* & ante eum *Theodoricus c. 2. aphor. 16. n. 28. Criminal.* Ubi adducunt *Recess. Imper. Francof. de Anno 1577. Tit. Von Buchdruckern und Schmah-Schriften:* in quo expressa verba leguntur: **Es habe der Autor seinen Nahmen hinzugesetzt oder nicht:** tamen talem scripturam haberi pro famoso libello. Verum *Nebelckra dec. 16. Schultes. in addit. ad Matth. Coler. p. 1. dec. 154. n. 15.* & *ad Modest. Pistor. quest. illustr. 56. n. 7.* contrariam sistent sententiam, & se fundant in dict. : *art. 110. Caroli V. ordin. Crim.* in his verbis, **und sich mit seinem rechten Tauff-Nahmen nicht unterschrieben.** Quorum opinioni & nos assentiri neutiquam veremur.

Thef. XVII.

Quoad personam, cui per famosum libellum  
in

injuria est illata, quærat forte aliquis, an etiam ejus nomen exprimi necessum sit? Et omnino hoc dicendum videtur, si injuriam alicui & consequenter infamiam illatam esse affirmamus: quia injuria non dicitur inferri personæ incertæ *l. item apud Labeonem 15. §. 9. cui non sine ff. de injur.* Existimamus tamen cum plerisque Ictis, sufficere, si nomen ejus, in cujus dedecus fabricatus est libellus, aliqua certa qualitate aut significatum circumstantia, & ita demonstratum sit, ut facili indagazione assequi judex possit, aliquem notatum esse, cum certum sit, non referre, proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, vel vocabulis quibusdam demonstretur. *Petr. Heig. qu. 31. n. 32. Harprecht. ad §. 1. Inst. de injur. n. 157.* Si itaque ex descriptione cognosci potest, cui personæ injuria in famoso libello facta sit, licet nomen ejus non sit expressum, perinde est, ac si appositum fuisset. *vid. Prosp. Farin. qu. 105. n. 474. Oper. Crim. Damhoud. in Tract. crim. cap. 125. n. 7.*

Thef. XVIII.

Sed quid, si autor libelli famosi veritatem ob-

objecti criminis velit probare, numquid poenæ sit immunitas? Et R. quod a poena quidem ordinaria liberetur, sed tamen poenam quandam extraordinariam haud effugere possit. Veluti obijciens alicui in famoso libello furtum, si falsum hoc sit, nec probari queat, autor pasquilli poena suspendii, quæ in fures constituta plebendus est, si vero is probaverit, crimen furti ab eo, cui obijcitur, perpetratum fuisse poenam furti effugiet, ob famosum tamen libellum extraordinaria & arbitraria poena erit puniendus quia judicialiter se ad criminis probationem offerre, neutiquam vero perclancularias suggestiones, vel extra judiciales diffamationes proximum lædere debuerat *L. un. C. de fam. libell. & Heig. l. 2. qu. 31. n. 41. Carpz. part. 2. qu. 98 n. 40. 41. 42. 43. & 44. pract. crim. Matth. Vvesenb. conf. 22. n. 5. sub fin. Job. Harprecht. in §. injuria 1. n. 167. & seq. de injur.*

## Thef. XIX.

De qua re manifesta extat sanctio Imperat. Caroli V. in ordin. crim. art. 110. in verb. fin.

C

und

§ (13) §

Und ob sich auch gleichwohl die aufgelegte  
Schmach der zugemessenen That in der War-  
heit erfinde / soll dennoch der Ausruffer sol-  
cher Schmach vermöge derer Rechte und Er-  
messung des Richters gestrafft werden. Ex  
quibus verbis quilibet colligere potest, quod,  
veritate criminis objecti apparente, autor  
famosi libelli saltem arbitraria poena plecten-  
dus sit.

Thef. XX.

Clarius autem hoc ipsum videre est ex  
*Constit. Elect. 44. §. fin. part. 4.* in verb. do er  
gleich solches folgendes könnte ausführen / daß  
derselbige gleichwohl auch willkürlich entwe-  
der mit Staupenschlägen // Verweisung oder  
Gefängnis / nach Gelegenheit der Verbre-  
chung gestrafft werden soll.

Thef. XXI.

Quæritur ulterius, an ille etiam poena fa-  
mosi libelli teneatur, qui ad infamiam Magi-  
stratus, aut alterius honesti viri pudenda viri-  
lia.

lia, vel vulvas muliebres in ejus janua & porta  
pingit; sic quidem tradit *Julius Clarus l. 5.*  
*S. ult. qu. 68. n. 25. Matth. Berlich. p. 5. concl.*  
*68. n. 51. Farin. p. 3. Oper. Crim. qu. 105. n. 471.*  
sed *Dn. Carpz. in pract. crim. p. 2. qu. 98. n. 54*  
Contrarium statuit, dicens, ejusmodi pictu-  
ram nec delictum aliquod domino ædium im-  
putari nec infamiam impingi posse, solet tamen  
hoc crimen fustigatione puniri.

Thef. XXII.

Sic etiam pœna famosi libelli multis ex  
causis mitigari solet, e. g. si quis sit minore-  
nis, si quis ab altero injuriis antea provocatus  
& læsus libellum famosum confecit, vel autor  
famosi libelli, antequam tota ejus series publi-  
cetur, eum dilaceravit, vel etiam, qui libel-  
lum famosum quidem affixit, pœnitentia ta-  
men ductus, antequam ipsius divulgatio & pu-  
blicatio facta sit, refixit. *Farin. qu. 105. n. 488*  
*Oper. Crim. Harprecht. ad §. 1. instit. de injur.*  
*n. 179. & seqq.* nec obstat, quod nemo pœni-  
tentia sua quoad delictum nocens esse desinat.

§§ (20) §  
L. 17. §. 1. ff. de Edil. Edict. l. 65. ff. de furtis,  
nam quamvis poenitentia non plane abolere  
possit injuriam, aut inde descendente obligationem & actionem, mitigationem tamen pœ-  
næ operari potest. Vid. Bocer. c. 3. n. 41. 42. 43.  
§ 44. de fam. libell. Harprecht. ad §. 5. Inst. de  
injur. n. 180. 181. § 182.

### Thef. XXIII.

Porro si quis delictum sponte fateatur, aut  
si quis libellum famosum ab alio compositum  
ex curiositate quadam descripsit, ut exinde e-  
xemplar penes se haberet, vel si quis libellum  
a se confectum per alium libellum publice re-  
vocet, asserens, ea, quæ in libello famoso scri-  
pta fuerint, falsa esse, & ex calore iracundiæ pro-  
fecta. Farin. d. qu. 105. n. 490, vel si animus  
injuriandi & diffamandi non adfuerit, Farin. d.  
qu. 105. n. 481. qui autem animus non diffa-  
mandi in dubio non præsumitur, nisi contra-  
rium probetur. Zang. de Except. p. 3. C. 13.  
n. 12.

Th.

Thef. XXIV.

Sic etiam mitior pœna dictari solet, qui in contumeliam personæ inhonestæ, puta, meretricis libellum famosum fecit & publicavit. *Berlich. Concl. 67. p. 5. n. 6i.* namque licet ejusmodi persona fuerit infamis, tamen tibi non competit, ei objicere delictum in libello famoso legibus sub gravi pœna interdicto. Quoniam vero ejus fama adeo per famosum libellum lædi non potuit, ideoque mitior dictanda pœna est.

Thef. XXV.

Qui autem famosum invenit libellum, vel legit, sed illum sustulit, non autem divulgavit, sed laceravit, combussit, sed etiam tantummodo retinuit, & suppressit vel eum descripsit, sed citra animum injuriandi & dolum, ille plane nullam meretur pœnam. vid. *Harprecht. §. 1. n. 191. & seqq. Inst. de injur.*

Thef. XXVI.

Sed etiam nunc dispiciendum venit, qua

C 3

pœ-

pœna Typographi, sculptores atque pictores, qui libros famosos, sculpturas & picturas, in religionis alicujus, vel etiam privati hominis detestationem & infamiam typis excudunt, & deinde distrahunt, sint affiendi. Et nos dicimus, Typographos, si tale quid excudant, omnibus exemplaribus & potestate excudendi libros privari, aliaque pœna arbitraria puniri. *Recess. imp. Aug. de anno 1530. §.* **Und nachdem durch die unmordentliche Druckerey** *Recess. Imp. Ratisbon. de Anno 1541. §.* **ferner haben wir befunden/ daß der Schmäheschriften/ gemählde ic.** *Et Ordin. Polit. Francof. de anno 1577. tit. Von Buchdruckern/ Schmäheschriften.* Inde hodie in toto fere imperio, ubi vis locorum certi constituti sunt inspectores, qui scripta typis imprimenda, cujuscunque etiam artis & facultatis illa fuerint, inspiciunt & censent, absque quorum censura & subscriptione typographis quicquam excudere & publicare non licet *vid. Carpz. part. 2. qu. 98. n. 11. Pract. Crim.*

Thef. XXVII.

Quod vero Bibliopolas & librorum nego-





gotiatores atinet, si illi ab aliis Bibliopolis in publicis mundinis, vel ab ipsis typographariis emunt scriptum, quod pro famoso habetur, ipsis autem ignotum est, & deinde illud aliis vendunt, prædicta famosi libelli poena irrogari non potest, & quidem hisce ex rationibus, quia (1) deest dolus, qui tamen omnino in crimine famosi libelli requiritur essentialiter, præcipue, cum ex licita & publica, nec non mutua librorum emtione non præsumitur, sed aliunde probari debeat. (2) ipsi Bibliopolæ non tenentur singulos libros, quos ipsi habent, perlegere, cum illorum finis sit, libros vendere, & quidem lucri causa. Inde est præsumtio pro ipsis, quod non nocendi, quam lucrandi animo libros istos, qui pro famosis habentur, vendiderint. *Coler. part. 1. dec. 154. n. 6. 7. 8. 9. & 10.* Quibus accedit (3) alia præsumtio pro Bibliopolis, quod libri non nisi prævia censura probati, debeant in publicum emitti; hinc ipsi libros emunt in publicis uundinis tanquam publica autoritate probatos, idcirco hætenus extra dolum & poenam sunt. Si vero scientes famosos libellos

¶ (24) ¶  
libellos dividunt publice, à delicto famosi  
libelli, & conveniente pœna immunes esse ne-  
queunt.

Thef. XXVIII.

Enim vero jam etiam hæc quæstio oritur,  
an ille, in cujus contumeliam famosus libellus  
aliquis est compositus, & publico loco affi-  
xus, vel itidem projectus, possit illatam in-  
juriam alio libello famoso repellere per mo-  
dum retorsionis? Quod negandum est, &  
quidem ex hac ratione, quia famosus libel-  
lus occultato nomine componatur, cœtero-  
quin proprie talis haberi nequit. *Matth.*  
*Steph. & Georg. Rem. ad art. 110. Ord. Crim.*  
*Carol. V. Matth. VVesemb. p. 1. conf. 22. n. 5.*  
At vero nomine occultato contra neminem inju-  
riæ retorqueri possunt, nec enim retorsio valida  
est, nisi contra certam aliquam personam fue-  
rit concepta, ut probe notant *Joh. Harprecht.*  
*in §. hæc actio. 12. n. 213. instit. de injur. &*  
*Matth. Berlich. part. 5. concl. 64. n. 33.*

Th.

Cum etiam non raro accidere soleat, ut  
 in libello famoso non privati saltem homi-  
 nes, sed personæ etiam illustres convitiis pro-  
 scindantur, delictaque ipsis notabilia impin-  
 gantur, quæstio existit: An autores talium  
 libellorum famosorum gravius puniantur il-  
 lis, qui privatos offendunt; ita quidem vi-  
 detur dicendum per ea, quæ tradit *Pere-  
 grin. de jure fisci lib. 3. C. 8. n. 9. & seq. &  
 C. 9. num. 4. libr. 4. Hieron. Gig. de crimine  
 læsæ Majest. qu. 89. Vinc. Honded. Cons.  
 108. n. 7. & seq. Myns. respons. 44. n. 12.  
 & seq. Boss. de crimine læsæ Majest. n. 51. vers.  
 tamen communis videtur &c. Contrarium  
 tamen longe verius est, ut eleganter ostendit  
*Petr. Heig. part. 2. qu. 31. n. 46. sub fin. vers.  
 cœterum cum sæpe fiat, num. 47. & seq. num.  
 51. vers. quapropter, & verba, num. 52. &  
 seqq. usque ad finem. Siquidem ex titulo  
 Cod. si quis Imperatori maledixerit, patet,*  
 D  
 quam*

quam clementer Imperatores, cum hujusmodi hominibus maledicis agere voluerint : aliud longe facturi, si procacibus dictis Majestatem suam tam valde lædi credidissent, Omnemque dubitationem tollere videtur, quod inter decreta Comitiorum Imperialium sæpe hujusmodi famosorum libellorum, in vulgares & illustres personas sparsorum fit mentio, neque tamen peculiaris poena inde constituitur.

Thef. XXX.

Illi autem, cujus fama per objectionem criminis in libello famoso suggillatur, liberum est an velit agere actione famosi libelli, an vero actione injuriarum. Nam quotiescunque alicui plura competunt remedia, electio est penes ipsum, quonam experiri velit, & intentato uno alterum absumitur *l. quod Senatus Consultum 6. sub fin. ff. de injur. l. 7. §. si dicatur i. ff. de injur.* Quin & id ipsum haud obscure probatur *ex L. §. §. si quis librum ff. de*

*ff. de injuriis*, ubi ex lege Cornelia de injuriis  
adversus autorem famosi libelli agere permit-  
titur. *Dan. Moll. Constit. Elect. 46. part. 4.*  
n. 7.

Thef. XXXI.

Hinc si ille, cui injuria est facta per famosum li-  
bellum, actionem injuriarum criminalem adver-  
sus diffamantem instituit, ac palinodiam petat ju-  
dex reum, de famoso libello convictum aut  
confessum, juxta petita libelli ad recantatio-  
nem & pœnam injuriarum arbitrariam con-  
demnare debet. Etenim recantatoria actio  
cum criminali (in foro Saxonico ad pœnam  
corporis afflictivam competens) bene cumu-  
lari potest juxta *Constit. Elect. 42. P. 4.* mini-  
me vero cum æstimatoria. *Rescript. Elector.*  
*de anno 1637. Carpz. d. l. def. ult.* Quando ve-  
ro veritas criminis objecti adest, licet animus  
pravus sit, tunc palinodia non est injungenda,  
sed reus condemnari potest ad pœnam tantum

D 2

*Covarr.*

§§ (28) 58  
Covarr. resol. l. 1. c. 11. n. 7. Farin. qu. 105. n.  
74. Sande l. 5. t. 8. def. 7. Hilliger ad Donell. l.  
15. c. 24.

Thef. XXXII.

Nec quispiam existimare debet, quod  
vix accidere possit, ut diffamatus famoso libel-  
lo injuriarum agere malit, quam ex famoso  
libello, cujus pœna longe severior est, siqui-  
dem non pauci reperiuntur, qui honoris &  
famæ suggillatæ restitutionem plenariam ma-  
gis appetunt, quam severiorem pœnam eli-  
gunt. Quamvis enim famosus libellus boni  
viri famam non lædat, ut dicitur *L. un. de  
famos. libell. verb. fin.* attamen eam secundum  
vulgi opinionem aliqua ex parte diminui, in du-  
bium vocari haud poterit. At vero injuria-  
rum actione instituta, huic succurritur per re-  
cantationem, quæ in actione famosi libelli non  
solet reo imponi, cum per se satis dura sit pœ-  
na famosi libelli, nec absque juris autoritate  
au-

augmento palinodix exasperanda. vid. *Carpz*  
*P. 2. qu. 98. n. 48. Pract. crim.*

Thef. XXXIII.

Cæterum cognitio famosi libelli durat 30.  
 annos, annum & diem. **wird innerhalb drey-**  
**sig Jahren/ Jahr und Tag nicht** præscribiret  
 alia autem injuria scripta in foro Saxonico non  
 secus ac verbalis injuria anni spatio tollitur.  
 vid. *Constit. Elect. 46. P. 4. Heig. dict. quest. 31*  
*n. 20. Moller. ad d. const. 46.*

Thef. XXXIV.

Tandem quæritur, quid dicendum de  
 scriptis hodiernis aliquorum Theologorum.  
 Ea pro famosis haberi nequeunt, quia crimi-  
 na raro impingunt, sed pro injuriosis scriptis,  
 elenehticos nonnullos habendos, & a Magi-  
 stratu puniendos esse, negare nemo poterit.  
 Religio enim religiose defendenda, non per  
 scom-

commata & cachinnos vid. Brun. in comment  
ad Digesta in tit. de injur. & fam. libell. ad La  
si quis 9.

## Thef. XXXV.

Et hæc sunt, quæ de hac difficili, nec  
minus hodiernis temporibus frequenti mate-  
ria pro reuitate ingenii mei differere potui  
Si forsitan, Benevole Lector, expectationi  
tuæ non omni ex parte satisfecerim, hoc  
imbellicitati humanæ, quæ juxta L. 2. §. 14.  
c. de veter. jur. enuc. naturaliter inest, inscri-  
bas, & Tecum perpendas quæso, quod o-  
mnium habere memoriam, & penitus in nul-  
lo peccare, divinitatis magis, quam mortalitatis  
sit. Eo interim, quo incepti, modo, finio discur-  
sum hunc & summo Deo, Justitiæ Præsuli supre-  
mo, gratias ago immortales, quod vires huic con-  
scribendæ disputationi largitus sit clemen-  
tissime, atque ut studiis meis posthac ex al-  
to



¶ (3<sup>r</sup>) ¶  
to benedicere, ac porro in Nominis sui glo-  
riam, & Reipublicæ salutem & incrementum  
convertere velit, humillimo voto ani-  
moque Eum imploro.

GLORIA SIT SOLI DEBITA SOLA DEO!



1717  
In der  
Königlichen  
Bibliothek  
zu  
Berlin  
am  
17ten  
März  
1717

GEORGIUS DE WITTE




ULB Halle  
005 121 795

3



Vol 12







DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
FAMOSIS LIBELLIS

VULGO  
von *Wassvillen*

QVAM  
DIVINA ASSISTENTE GRATIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO [4]  
DOMINO

**GUILHELMO HENRICO**

DUCE SAX. JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, ANGARIÆ  
ET WESTPHALIÆ &c.

AUTORITATE ET DECRETO MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS  
IN FLORENTISSIMA AD SALAM ACADEMIA

SUB PRÆSIDIO

**IOHANNIS BERNHARDI Griesen**  
HEREDITARII in Pöfen, JCTI SERENISS. DUC. SAXO-ISAAC. CON-  
SILIARIII AULICI ET CONSISTORIALIS, ANTECESSORIS, FACUL-  
TATIS JURIDICÆ ET SCABINATUS ASSESSORIS, ET H. T. DECANI

*Domini Patrovi, ac Præceptoris atatem venerandi*

**PRO LICENTIA**

*Summos in utroque jure honores, & privilegia Doctoralia rite capeffendi*  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**IOHANNES JACOBUS FREIESLEBIUS**  
EISENBERGA - OSTERLANDUS

d. Octobr. MDCCXII. horis ante & pomerid.

JENÆ, LITERIS WERTHERIANIS.